

officio haud quaquam fuisse privatos; unde & ex hac parte, poenam, qua Picentes asserit fuisse notatos, perspicuum fiet, Brutios non maculasse.

Diodorus tandem Siculus historicus fuit celeberrimus, temporibus Julii Cæsaris, & Octaviani Augusti. Argyrum Siciliæ natale solum illi præbuit; totam fere Asiam, atque Europam, peragravit, ut Bibliothecam Historicam exactius exararet. Scripsit in illa de rebus Ægyptiis, Assyriis, Medicis, Persicis, Græcis, Romanis, Punicis, atque aliis. Clarissimus Vir, Antonius Mungitore, Canonicus Panormita, de re literaria optime meritus, quem nos ut multum admiramur, ob omnigenam suam eruditionem, ita & impense observamus, ob peculiarem erga nos amicitiam; in sua Bibliotheca Sicula, seu de Scriptoribus Siculis, satis diffuso calamo, critico, & erudito, de Diodoro scribit.

Verum de re, de qua agimus, nec verbum apud Diodorum quisquam invenit; unde miramur valde, nuperum Scriptorem Gallum laudasse illum, absque eo quod apud antiquiores Scribentes laudatum invenerit, & absque eo etiam, quod locum, in qua illa scripsisset, indicaret. Sane Baronius nec verbum de eo facit, Calvus illum silentio præterit, alique recentiores illum nec quidem nominant. Quod si memoriæ lapsus exitit, ut facillime judicamus, amplius circa illum nos volvere, superfluum ducimus.

Multa sunt insuper, quæ Diodoro attribuuntur, & quæ vere supposititia esse probantur; ut apud laudatum Mungitore satis exacte discutitur. Multis etiam Diodorum carpit Rhodiginus, pluribusque Vives; sed ab omnibus eum defendit Mungitore; adducitque Justinum Martyrem, qui illum Historicorum omnium præcla.